

subiecta, inde patet: Tum quia nunquam huc usque facta est, nec unquam fiet aliqua universalis revocatio omnium privilegiorum; quia licet plures a variis Pontificibus in certa materia editae sint Constitutiones revocatoriae Privilegiorum, huiusmodi Constitutionibus contrariarum, tamen plurima adhuc alia, & quidem, ut diximus, multa centena privilegia dantur, quae a dictis Constitutionibus, utpote in alia materia emanatis, minime tanguntur.

234 Pariter licet etiam Concilium Tridentinum in diversis Sessionibus in specie & expressè revocavit aliqua privilegia, ac insuper omnia Eiusdem Sessionis 25. de Regularibus contraria juxta dicta superius; tamen non obstante, quod praefata per Concilium Tridentinum, & multa alia per Constitutiones supra dictas verè sit revocata, adhuc multa centena alia existunt, quae nec praefato Concilio, nec supra dictis Constitutionibus sunt contraria, consequenter ab eis minime revocata, uti videtur inter alia in nostro Compendio privilegiorum reformato per P. Hieronymum à Sorbo.

235 Notandum siquidem specialiter, quòd dictum nostrum privilegiorum Compendium omni debita cum reverentia & obedientia erga S. Sedem, juxta Decreta Concilii Tridentini, & aliarum Constitutionum Papalium fuerit reformatum, & sic reformatum editum, adeò ut nullum in illo reperitur privilegium à Concilio Tridentino, vel aliqua Constitutione Pontificia usque ad Clementem VIII. revocatum; & tamen multa centena in illo reperiantur privilegia, etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificiae contraria, nec per aliam causam amissa, uti legenti patebit. Pariter res se habet de Compendio privilegiorum Societatis Jesu recentè edito, sicut & de aliis.

236 Rufus, licet Gregorius XV. & Urbanus VIII. universaliter pro utroque Foro revocarent omnia viva vocis Oracula non verè authentica, seu de cuius testimonium Officialium & Ministrorum superiorum allegatorum non constat; tamen non obstante dictorum Pontificum revocatione, plurima Oracula adhuc valent: Tum quia plurima habentur verè authentica, omnia videlicet illa, quae in nostro privilegiorum Compendio signata sunt majori Littera O. juxta dicta supra. Tum quia omnia viva vocis Oracula in libris Ordinis nostri reperta, etsi testimonio praefatorum Officialium non authentificata, Leo X. saltem pro Foro conscientiae, novo viva vocis Oraculo verè authentico de novo concessit, & eadem etiam Gregorius XIII. & Clemens VIII. ex certa scientia per specialem Bullam de novo confirmarunt & concesserunt, consequenter fecerunt, quòd dicta nostra Oracula in libris Ordinis nostri reperta Gregoriae, & Urbanae revocationi non subiaceant, & consequenter adhuc saltem in Foro conscientiae valeant, juxta dicta supra. Cum Oracula verè authentica, vel quae per novam Bullam denuò sunt concessa, evadant privilegia scripta, & per consequens à dictis Pontificibus nullatenus revocata.

237 Porro saepe dicta magna copia privilegiorum parum vel nil minuitur non Usu aut usu contrario, aut renuntiatione illorum, aut alià amissionis causa: Tum quia plurima ex eis sunt merè gratiosa, quae non Usu, aut Usu contrario minime cessant per dicta supra. Tum quia plerumque sunt data Ordini, Dignitati, Officio, aut Communitati, quibus per privatos renuntiare nequit: Tum quia alia amissionis causa facile probari nequit, & interè privilegiati sunt in possessione privilegiorum. Hinc ad Questionem n. 231. postam pro praxi

238 Resp. II. Omnia & singula privilegia scripta, seu Bullata, item omnia & singula viva vocis Oracula

verè authentica, quae in nostro reformato privilegiorum Compendio reperuntur. & novà aliquà Constitutione post Clementem III. circa certam materiam expressè revocata non sunt, & contra quae causa aliqua amissionis probari non potest, adhuc pro utroque Foro valent. Viva vocis Oracula verò plenè non authentica, & ex libris tamen Ordinis nostri ibidem adducta, valent pro solo Foro interno, utpote pro hoc solo ab allegatis Pontificibus de novo concessa &c. Patet tota Conclusio ex dictis, quam pro compendiosa & practica notitia solum adducere, de reliquo Lectorem scire cupientem, nam & quale in hac vel illa materia privilegium habeamus, ad saepe allegatum reformatum nostrum Compendium privilegiorum Ordine Alphabetico compositum remittere expediens duximus.

239 Dicitur notanter, & novà aliquà Constitutione post Clementem VIII. revocata non sunt; quia aliqua respectivè tamen valde pauca in dicto Compendio reperuntur privilegia, quae à novis Constitutionibus fuerunt revocata, utpote contraria huiusmodi Constitutionibus in illa materia, circa quam fide edita cum Clausula Non obstantibus quibusvis privilegiis &c. uti erat privilegium super A'ari portali celebrandi Missam in quovis etiam saeculari loco, quod fuit revocatum à moderno Pontifice juxta dicta Lib. III. Tit. XXI. à n. 4.

Et haec de materia privilegiorum dicta sufficiant; qui plura de his desiderat, consulat Questiones Regulares Roderiquez, Manuale Mirandae, Hiscynthum Donatum, Peyrinam, Lezenam, & alios integros Tomos de privilegiis scribentes. Nobis prope- randum ad alia.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

- 1 Purgatio Canonica quid?
- 2 Olim fiebat per iuramentum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum.
- 3 Vel per suspensionem Eucharistiae.
- 4 Hodie verò fit per iuramentum Illius.
- 5 Et quorundam Compurgatorum, ita ut ille de veritate, hi verò de credulitate jurent.
- 6 Peregrino creditur sine Compurgatore: & quomodo?
- 7 Purgatio Canonica non nisi à competente Iudice inici potest.
- 8 Ut legitime alicui indicatur, requiritur I. Ut talis de crimine publicè sit diffamatus, aut suspectus.
- 9 II. Et quidem verosimiliter.
- 10 III. Ut fama ortum non habet à Malevolis. Propter scandalum vitandum receditur à Jure communi. Ibid.
- 11 IV. Requiritur, ut crimen, vel innocentia alter probari non possit.
- 12 V. Ut crimen non sit notorium.
- 13 VI. Et diffamata persona sit aliàs fide digna, Plebeis, & vilibus non indicitur Purgatio Canonica, sed Tortura. Ibidem.
- 14 Iudex potest Purgationem Canonica indicere vel ex officio, vel ad instantiam partis.
- 15 Et quidem non solum super crimine, sed etiam super macula, defectu, aut impedimento.
- 16 Diffamatus in Purgatione deficiens, puniatur ut reus; & qualiter?

- 17 Purgationis ritè factè effectus qui?
- 18 Ordinariè de tali crimine non amplius potest accusari.
- 19 Nisi nova indicia emergant; vel accusator suum profatur injuriam; aut probare vult, Diffamatum perjurasse.
- 20 Purgatio Canonica hodie ferè in defectu duntaxat abijt, excepto Officio Inquisitionis.

1 Quæritur I. Quid sit, & quomodo fieri debeat Purgatio Canonica? Ante responsonem nota, Purgationem Canonica ut sic quantum ad propositum, aliud non esse quàm ostensionem innocentie de objecto sibi crimine. Et haec duplex est, videlicet Canonica & vulgaris, quarum posterior reprobatur à Jure, ut dicemus Tit. seqq. De priore autem sic dicta, quia à SS. Canonibus est adinventata & approbata, hoc Tit. & cau. 5. quæst. 5. ferè pro totum, his notatis, Resp. I. quòd Canonica Purgatio sit innocentiae alicujus criminis, de quo quis diffamatus est, Canonice seu juxta praescriptum SS. Canonum facta ostensio.

2 Resp. II. Quamvis olim varius fuerit modus Purgationis Canonicae, v. g. per iuramentum tam à Reo, quàm Accusatore praestitum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum, can. Haber. 6. can. Memoriam 7. can. Quanto 8. can. 2. q. 7. praesertim verò illorum, qui miraculis magis clarebant; eo quod mirabili harum Reliquiarum virtute, vel intuitu meritorum talium Sanctorum Deus saepe mirabiliter patefecerat innocentiam, vel crimen, & perjurium Diffamatorum, vel Accusatorum, prout plures testantur SS. Patres apud Baronium ad Annum Christi 412. à n. 24.

3 Item per susceptionem S. Sacramenti Eucharistiae, vel celebrationem Missae, arg. can. Sæpè 23. & can. fin. cau. 2. q. 5. quia praescribatur, nullum tam temerarium fore, ut reus & conficius criminis à se commissi in sui condemnationem audeat sumere Corpus & Sanguinem Christi; praesertim cum in signum innocentiae sumi oportuerit, in haec verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie: cit. cau. Sæpè.

4 Nihilominus praesati, & alii modi Purgationis Canonicae iustis de causis sublati, & alia forma ejusdem introducta, & hodie servanda est, illa videlicet, quae scribitur c. Quotiens. 5. h. t. ubi cujus imprimis Purgandus sive Reus, tactis sacrosanctis Evangelicis debet jurare, quòd crimen illud, de quo infamatus est, nec per se, neque etiam per substitutam personam, aut alium suo nomine scienter illud perpetraverit. Et notanter sic dicitur, non enim sufficit Reo de criminibus infamato jurare, quòd sit immunis ab illis criminibus, hoc enim verificaretur per veram peractam penitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur: sed quia hoc nemo fecere potest, juxta illud Job. cap. 9. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea, cum Concordantibus: idcirco iuramentum esset temerarium, indifferens, & ineptum ad Purgationem Canonicae, prout id ipsum expressè reprobatur cap. ult. h. t.

5 Deinde sunt adhibendi Compurgatores, plures vel pauciores juxta qualitatem Personae, delicti ac infamiae; nam hic numerus est arbitrarius, & à Iudice taxandus, arg. c. Inter h. t. ubi quatuordecim Compurgatores propter magnitudinem criminis objecti requiruntur, sed cap. 1. eod. requiruntur duodecim, & c. Ex turum, eod. septem, vel quinque, quasvis & pauciores sufficere possent, arg. c. Cum dilectus h. t. & c. Cum in juventute, eod. ubi duo Abbates fuerunt deputati, ac notat Pirhing h. t. num. 11. Debent autem huiusmodi Compurgatores esse vicini ipsius Rei, qui vitam & conversationem ipsius agnoscant, simulque personae honestae ac bonae famae, c. Cum P. 7. & c. Cum in juventute. 12. h. t. qui jurabunt, quòd credant, Purgandum non commisisse crimen objectum, sed quòd credant, ipsum verum jurasse. Unde patet discrimen inter iuramentum Purgandi, & Compurgatorum: nam ille debet jurare iuramento de veritate, quòd nempe objectum crimen non commiserit; Compurgatores verò jurant de credulitate, c. Quotiens. 5. & c. De Testibus. 13. h. t.

6 Porro si quis Peregrinus, aut aliàs ignotus, ita ut Compurgatores de vita & honestate ipsius notitiam habentes acquirere non possit, eidem soli, si aliàs fide dignus censetur, creditur, ita tamen ut non tantum juret, se crimen non commisisse, sed etiam juret, se Compurgatores habere non posse. Abbas in c. Inter. h. t. n. 7.

7 Quæritur II. A quo? & quando indici possit, ac debeat Purgatio Canonica? Resp. I. Purgatio Canonica indici potest à solo Iudice competente, qui de crimine aliàs cognoscere potest, aut debet, adeò, ut si à non Iudice indicta fiat, minime valet, & perinde sit, ac si facta non fuisset. Communis, & certa, arg. c. Nos inter. 6. & c. Inter. 10. h. t. item c. Licet. 1. de Officio Legat.

8 Resp. II. Ad hoc, ut alicui Purgatio Canonica indici possit, aut debeat, plura requiruntur. Et quidem I. Quòd per accusationem, vel aliàs de crimine publicè diffamatus, vel verosimiliter suspectus sit, ita ut fama illius etiam apud probos honesta laesa exstat. Innocentius in c. Nos inter. 6. h. t. Sylvester v. Purgatio. n. 2. Pirh. h. t. n. 7. cum communi, arg. c. Si quis 4. c. Quotiens 5. & seqq. h. t. Ratio est, quia Purgatio canonica idem praecipue introducta est, ut calu, quo crimen, vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, per Purgationem detegatur, quatenus tollitur publicum scandalum populi, dum vel reus inventus condemnatur, vel suspicio criminis deletur, atque infamia Rei convertitur in bonam famam, arg. c. Inter. 10. h. t.

9 II. Requiritur, ut infamia, aut suspicio non sit levis, sed verisimilis & gravis, aut vehemens, casu quo ob eam Purgatio indicitur, Communis arg. c. Si quis. 4. h. t. ibi: Si verisimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, hoc ipsum se expuret, & c. Inter. 10. eod. & Vehementem suspicionem &c.

10 III. Requiritur, quòd, si ob publicam infamiam indicitur Purgatio, infamia ortum habeat à personis honestis, & fide dignis; quia orta à malevolis non sufficit ad indicendam Purgationem, nisi Diffamatus ipsemet pro ea inflaret, aut nisi etiam taliter orta infamia generaret publicum populi scandalum, quòd aliter quàm per Purgationem Canonicae sedari non posset, arg. c. Inter. 10. h. t. Ratio posterioris est, quia propter scandalum vitandum receditur à Jure communi c. 2. de Novi operis nuntiat. c. Tencamur. 6. de Praebend. & c. 2. de Praescripti.

11 IV. Requiritur, ut crimen, aut innocentia per Testes, aut alios idoneos modos probari non possit, c. Inter. 10. h. t. ibi: Accusatore, & Testibus deficientebus. Ratio est, quia Purgatio Canonica à Jure est introducta in subsidium aliarum probationum.

12 V. Requiritur, ut crimen non sit notorium, c. Cum dilectus Filius 15. h. t. ibi: Si crimen notorium existeret, non erat illi indicenda Purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda; quia notoria non indigent probatione, imò nec excusatione, arg. can. de Manifesta. can. 2. g. 1. & c. Evidentia. 9. de Accusata.

13 VI. Requiritur, ut persona diffamata cetero, qui sit fide digna, & de perjurio committendo minime

nimè suspecta, textu claro c. 1. h. t. & ibi Glossa; imò Farinacius *Praxi Crimin.* 9. 94. n. 14. cum aliis bene notat, cui *Purgatio* indicitur, debere insuper esse talem personam, cujus fama, & existimatio populo Christiano necessaria videtur, aut utilis, aut cujus crimen generaret majus scandalum, uti sunt Episcopi, Prælati Ecclesiastici, Prædicatores Verbi Dei, Sacerdotes, vel alii viri honesti, *arg. cin. c. 1. h. t.* Viles siquidem, vel plebei, si per accusationem, vel alias, publicè diffamati, aut graviter suspecti existunt, deficientibus aliis probationibus non per *Purgationem Canonicam*, sed per tormentum questionibus subjiciendi sunt; quod etiam praxis habet, & meritiò, cum apud hujusmodi vires plerumque sit periculum perjuriæ.

14 Cæterum concurrentibus supra dictis requisitis potest Judex *Purgationem* inducere vel ex officio c. 1. & *seqq. h. t.* per totam, vel ob instantiam diffamati.

15 Et quidem non tantum de Crimine, sed etiam de macula, vel defectu naturali, aut impedimento obstante ad Ordines v. g. Beneficia &c. *arg. c. Accedens. 14. h. t.* & ibi Glossa v. *Purgatione*. Abbas n. 1. h. t.

26 Queritur III. Quid juris, & qualis effectus sequatur, si quis in *Purgatione* sibi indicia deficiat? vel e contra, si eam ritè faciat? Resp. I. Si quis diffamatus de crimine post indicium sibi à suo legitimo Judice *Purgationem* Canonicam defecerit in ea, vel quia ipse jurare noluit, vel certè, quia non invenit Compurgatores, qui, præstito de credulitate juramento, eum expurgare valeant, tanquam convictus de crimine, auctorque criminis puniendus est, *cit. c. Inter. §. fin. h. t. & c. De hoc. & c. Insinuatum, de Simonia*. Ratio est; quia præsumptio verisimilis, quæ ex infamia Rei orta est, Reo in *Purgatione* deficiente, transit involentam vi cujus Judex procedere potest ad sententiam, & infligere poenam saltem extraordinariam, prout amplius diximus *Lib. II. Tit. XXXIII. §. 3.* imò juxta aliquos etiam ordinariam, Menochius *lib. 5. præsumpt. 41. n. 3.* Farinacius *Praxi Crimin.* 9. 86. n. 5. König, *de Præsumpt. n. 3.* præsertim in Judicio Ecclesiastico, ubi etiam ordinaria poena non est mortis aut mutilationis. Pirhing *h. t. n. 37.*

17 Resp. III. *Purgationis* legitime factæ plures sunt effectus Patet inductione. Nam primò legitime se purgans illicò est absolvendus à crimine, declarandus innocens, & in statum pristinum restituendus. Secundo statim debet absolvi à suspensione, casu quo ob infamiam criminis ei inflicta est, c. *Ex tuarum. 8. & c. Inter. 10. h. t.* Tertio mox evadit vir boni testimonii, *cit. c. Ex tuarum. 8. h. t.* ejusque infamia tollitur; fama e contra, vel existimatio reintegratur, præsertim si vitam etiam bonis moribus adornet, *cit. c. Inter. 10. h. t.*

18 Quarto, quòd ordinariè loquendo de eodem crimine accusari amplius nequeat. Glossa, Hostiensis, & alii communiter: Tam ne de eodem delicto ejusdem hominis sæpius queratur contra *l. Licet. 6. ff. Nauta, Caupones &c.* Tum quia Jusjurandum non minoris autoritatis est, quam res judicata, *l. Jusjurandum 2. ff. de Jusjurando.*

19 Dicitur autem notanter ordinariè loquendo, quia limitatur præcedentis numeri doctrina in casu, quo concurrentibus novis indicis nova infamia, vel Accusator addit. Abbas in *c. Ex tuarum. 8. h. t. nu. 5.* Item in casu, quo quis suam, aut suorum injuriam persequitur, *l. Si cui. 7. §. ff. de Accusat. vel doceret Infamatum purgando se, perjurasse, l. Admonendi 3. ff. eod. vel priorem Accusatorem fuisse prævaricatum, l. Prævaricationis 3. §. 1. ff. de Prævaricat.*

20 Plura de *Purgatione Canonica* dicere non præstat,

èò quòd magna ex parte jam in desuetudinem abiit; quamvis in Officio Inquisitionis adhuc videri dicatur.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

- 1 *Purgatio vulgaris* quid?
- 2 Est illicita, & reprobata à Jure pluribus casibus.
- 3 Solvitur obiectio ab exemplis Sanctorum.
- 4 Ex veteri Testamento desumpta.

Queritur quid? & an licita vel valida sit *Purgatio vulgaris*? Resp. I. *Purgatio vulgaris* sic dicta à *Vulgo*, eo quòd ipsa nullo Jure, sed à *Vulgo*, fabricante diabolo, fuerit adinventata, c. *Menna 2. q. 1.* est temeraria probatio innocentie, vel per duelum, vel per ferventis, aut frigide aque, ignitque ferri contactum, aut alia simili vulgari adinventione, eà conditione, ut victus in duello, vel ferro candente adustus, aut aliter læsus habeatur ut reus; si minus, reputetur innocens, c. 1. & *seqq. tot. h. t.*

Resp. II. *Purgatio vulgaris* tanquam illicita reprobata est, & damnata à SS. Canonibus, *cit. c. Mennam. & c. Monomachiam. 2. q. 5.* nec non toto præsentis Titulo, & quidem tribus de causis. Primò, quia per eam non raro contingebat quempiam damnari, qui revera innocens erat, de quo refertur casus *cap. 2. h. t. Secundò*, quia per *Purgationem* hujusmodi vulgarem Dominus Deus tentari videtur, *cap. ult. h. t. & c. Monomachiam. 2. q. 5. Tertio*, quia est inventa à Diabolo c. *Constitutis. & c. Mennam. 2. q. 5.* Hinc Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 19. de Reformat. ait: Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum mortie animarum etiam perniciem lucratur.*

Nec refert, quòd multi Sancti ad hujusmodi *Purgationem* se obtulerint; eaque suam innocentiam Deo miraculosè concurrente ostenderint. Respondetur enim, id ex speciali instinctu Divino factum esse, quo abfente id facere sine tentatione Dei non licet, per *Jura allegata.*

Dices, Deus ipse hujusmodi *Purgationem* in veteri Testamento præscripsit. *Num. cap. 5. v. 18.* sicut & Concilium Moguntinum sub Rabano celebratum: *cap. 24. ibi: Qui Presbyterum occiderit &c. ac negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus jurat: si servus, super dodecim vomeres ferventes se expurget, ergò. Resp. Purgationem* illam in antiquo Testamento præscriptam fuisse Cereemonialem, quam quia Deus præcepit, eidem etiam assistentiam saltem tacitè promissit: jam verò cum *Cereemonialia*, & consequenter etiam promissio assistentie Divinæ cessarint, eà non amplius licet uti. Ad Concilium dico, eà per sacros Canones derogatum esse.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

I. Ratio Ordinis.

Quia crimina & excessus, de quibus hæc lenes egimus, sicut subinde cum injuria & damno; hinc

hinc præcedentes Titulos sequens recto ordine sequitur.

§. I.

De Injuriis.

SUMMARIUM.

- 2 Injuria largè & propriè loquendo quid?
- 3 Requiritur ad eam dolus, seu malus animus.
- 4 Hinc ab injuria, & actione injuriarum immunes sunt omnes, qui sunt doli incapoces, sicut & qui correctionis causà verba injuriosa adhibent.
- 5 Correctionis causà raro expedit verba contumeliosa adhibere.
- 6 Verba ex se injuriosa proferens præsumitur dolo proferre.
- 7 Injuria fieri potest tam absenti, quam presenti, idque vel verbis.
- 8 Vel scripto.
- 9 Vel factò.
- 10 Hinc Injuria alia dicitur verbalis, alia scripta, alia realis, alia levis, alia atroc.
- 11 Potest quis non tantum in se ipso, sed etiam in alio præsertim sibi subdito Injuriam pati, & propterea agere.
- 12 Injuriarum passus potest contra injuriantem instituere actionem injuriarum vel Civiliter, vel Criminaliter.
- 13 Actio injuriarum quomodò Civiliter instituat.
- 14 Et quomodò Criminaliter?
- 15 Qui semel unam assumpsit, ad aliam transire nequit.
- 16 Pœna Injuriarum, præsertim Libelli famosi.
- 17 Ratione Injuriarum institui potest etiam actio Palmodis, seu recantationis, & quidem vel sola, vel cumulativè cum alia.
- 18 Datur actio injuriarum etiam contra illum qui verum, occultum tamen crimen obicit.
- 19 Nisi respublicè intersit illud manifestari.
- 20 Ex actione Injuriarum condemnatus, ipso facto contrahit infamiam.
- 21 Exceptis nonnullis casibus: & n. seq.
- 22 Actio Injuriarum variè tollitur, veluti I. Revisione, seu condonatione tacitè, vel expressè.
- 23 Quam tamen facere nequit subiectus potestati alterius, hoc dissentiente, bene verò dissentiente illo.
- 24 II. Morte eam Injuriantis, quam Injuriati.
- 25 III. Præscriptione unius anni.
- 26 Nisi sit injuria realis, vel scripta.
- 27 IV. Retorsione.
- 28 Injuriarum passus tenetur quidem Injuriato ignoscere.
- 29 Non tamen tenetur remittere actionem Injuriarum, sed etiam, in Foro conscientie instituire potest, & subinde.
- 30 Non tamen semper tenetur.
- 31 Plerumque laudabilis, sanctus, & utilius est remittere, quam instituire actionem injuriarum.
- 32 De obligatione Injuriarum inferentis remissivè.
- 33 In utroque Foro licitum est retorquere Injuriarum.
- 34 Si fiat cum moderamine inculpate tutelæ: & n. seq.
- 35 Et in continenti: potest etiam subinde post intervallum.

Queritur I. Quid sit? & quibus modis inferatur Injuria? Resp. I. Quamvis generatim lo-

quendo *Injuria* ex eo dicta, quòd non Jure fiat? sit, & dicatur omne illud, quòd contra justitiam & æquitatem fit; seu quòd non Jure fit: *pr. Institut. h. t. & l. 1. ff. de Injuriis*. ibi: *Omne enim, quòd non Jure fit, injuria fieri dicitur*: tamen specialiter, & ad præsens *Injuria* fimitur pro contumelia, seu pro delicto per quòd dolo malo inferitur alteri contumelia, ut *L. 1. ff. h. t. ibi: Specialiter autem injuria &c.* Dicitur *Contumelia*, quæ per quandam vilipensionem, despectum, vel contemptum honoris, respectus, & infamiam alterius læditur; *Contumelia enim à contemendo dicitur, pr. Institut. h. t.*

Dicitur autem notanter dolo malo; cum enim juxta dicta *Injuria* ad præsens fit contumelia, seu quædam vilipensio, despectus, vel contemptus alterius, omnino requiritur ad eam malus dolus, seu malus animus, & propostum alterum injuriandi, id est dicendi, vel faciendi, quòd in illius vilipensionem, despectum, & probum, honorisque detrimentum vergat, *L. 3. §. 1. 2. & 3. ff. h. t. & l. Si non convitii. 5. C. eod.*

Hinc inferitur, *Injuria* non inferre, & consequenter actioni injuriarum non subjici sequentes. I. Infantes, & impuberes, furiosos & mente captos *l. Illud. 3. §. 1. ff. h. t. II. Eas*, qui per jocum quid injuriosum faciunt, & dicunt, *cit. l. Illud. 3. §. 3. ff. h. t. III. Illos*, qui vi officii, aut statûs sui causa moderatè castigationis, vel correctionis & emendationis injuriosum quid in alterum committunt aut faciunt, uti Ludimagistri, Præceptores respectu suorum discipulorum, Parentes respectu liberorum, Domini respectu famulorum, Mariti respectu uxorum, Superiores respectu subditorum &c. *l. Item apud Labeonem. 15. §. 38. ff. h. t. ibi: Si quis corrigendi animo, aut emendandi, non tenetur.* Et probatur etiam exemplo Christi, qui Petrum vocavit Sathanam *Matth. 16.* & Discipulos euntes in Emaus stultos, & tardos corde: & Paulus Galatas vocat infensatos, Cretenfes semper mendaces. Notat tamen rectè S. Augustinus *lib. 2. de Sermonibus Domini in monte, cap. 30.* ratio & non nisi ex magna necessitate hujusmodi injurias oburgationes esse adhibendas, utpote quibus plerumque magis exacerbantur, quam emendantur subditi.

Cæterum alia personæ mentis, & doli capaces si quid suapte natura injuriosum alteri faciunt, aut dicunt, dolo seu injuriandi animo fecisse præsumuntur, adeò ut assentiens se tantum per jocum, aut aliàs nullo injuriandi animo fecisse, incumbat præbatio. Clarus §. *Injuria. n. 12.* Menochius de *Præsumpt. lib. 5. Præsumpt. 3. n. 47.* Pirhing, *h. t. n. 2. arg. l. Si non convitii. 5. C. h. t. & ibi glossa. v. Probare potes*: sicut e contra si verbum vel factum ex se injuriosum non est, onus probandi illi incumbit, qui assertit id animo injuriandi factum esse. *l. Et inconvitii. 2. ff. de Probat. l. Actor. 23. c. eod. l. qui in alterius 42. ff. de R. l. quæ probatio per conjecturas fiet: Zoëlius in ff. h. t. n. 4.*

Resp. II. *Injuria* tribus, verbo videlicet, scripto, & factò inferri potest. Verbo fit, quando quis de altero sive absente, sive præsentem quid probrosum aut injuriosum ore tendens profert, obediendo, vel enumerando d-factum morum, aut naturæ, quòd, v. g. sit fur, homicida, adulter, spurius, quæ injuriosa prolatio Convitium dicitur, *arg. l. Item apud Labeonem. 15. §. 7. ff. h. t. ibi: Convitium non tantum præsentem, verum absentem quoque fieri posse, Labeo scribit.* Clarus *loc. cit. n. 1.* Farinacius in *Praxi Crimin.* 4. 150. n. 22. & 24.

Scripto fit, dum quis libellum, carmen, factum, aut historiam in alterius contemptum, probum, vel infamiam in litteris evulgat, *l. Lex Cornelia. 5. §. 9. l. Item. 15. §. 29. ff. h. t.* Quòd si hujusmodi

Scriptura omisso nomine Autoris in vulgus spargitur, Libellus famosus dicitur, L. un. C. de Libell. famos. vulgò Putschill.

Facto fit, dum quis alterum verberat, vulnerat, domum ejus violenter ingreditur, vel aliud quid in contemptum, probrum, aut infamiam illius facit. l. Cornelia. §. princ. ff. h. t. l. Item. 15. §. 25. ff. eod.

Hinc alii dividunt Injuriam in verbalem, & realem: & utramque in levem, & atrocem; quæ ex circumstantiis desumitur. Evadit autem Injuria atrox, vel ratione ipsius facti, ut si etiam plebejus vulneratur, aut fustibus cæditur. §. 9. Instit. h. t. & l. Prætor edixit, 7. in fine. ff. h. t. vel ratione persone injuriantis v. g. filii vassalli, cit. §. 9. Instit. h. t. l. Si unius. 17. §. 3. ff. eod. vel injuriatæ, l. Atrociem. C. h. t. vel ratione loci, ut si quis in templo, vel loco Judicii injuriam infert, cit. §. 9. Instit. h. t.

Resp. III. Injuriam quis pati potest non tantum in se ipso, sed etiam in certis personis aliis sibi conjunctis, aut potestati suæ subjectis; uti in filiofamilias patet, in uxore maritus, in servo Dominus, ita ut hi etiam proprio nomine instituire valeant actionem injuriarum, l. t. §. 3. ff. h. t. §. Patitur. 2. & §. Servus instit. eod. Farinacius Praxi Criminali q. 150. d. n. 253. Pariter si Clerico, vel Religioso Injuria infertur, ratione illius, quasi Ecclesie, vel Monasterio illatæ agere potest Episcopus, vel Superior Regularis. Farinacius loc. cit. n. 291. Engel. h. t. n. 7.

Queritur II. An, quando, & qualem actionem in Foro externo pariat Injuria alteri illata? Resp. I. Injuria alteri illata facit, quod Injuriatus contra Injuriantem instituire possit actionem injuriarum, idque, vel Civiliter, vel Criminaliter, prout voluerit. Communis & certa textu expresso. §. in Summam. 10. Instit. h. t. ibi: In Summa sciendum est, de omni Injuria eum, qui passus est posse vel Criminaliter agere, vel Civiliter.

Civiliter agere dicitur Injuriam passus, si pro injuria sibi illata præterdit ad suum privatam commodum, seu interesse certam Summam pecuniariam, tantam videlicet, cujus jacturam libentius, quam probrum, seu defectum per Injuriam sibi causatum sustinisset, §. In Summam. 10. Instit. h. t. l. Constituit. 37. §. 1. ff. eod. cum Concordantiis: solet tamen Judex præsentiam hujusmodi taxam moderare, textus & interpretes in §. Pana autem, & §. Atrox. Instit. h. t. vel etiam ab Actore juramentum exigere, quanti revera æstimet injuriam sibi illatam, c. Olim. 7. h. t. & ibi Glossa v. Taxatione. Quamvis praxis quorundam Tribunalium habeat, ut absque juramento æstimetur, & taxetur Injuria, ac proinde attendenda sit locorum praxis & consuetudo, uti bene advertit Haunoldus de J. & J. Tom. 1. Tr. 2. n. 573.

Criminaliter verò agit, quando à Judice petit, ut Reus vel poenâ pecuniariâ arbitrio Judicis pro qualitate Injurie taxandâ, & Fisco applicandâ, vel in corpore puniatur, cit. §. In Summam 10. Instit. h. t. l. fin. ff. h. t. cum concordantiis, Bartol. in l. 3. & l. fin. ff. de prinat. Delict. Clarus §. Injuria n. 7. Mynsinger Centur. 4. Observat. 4. n. 5. ubi tamen bene advertit, vi factæ à Carolo V. Ordinat. Camer. Imper. p. 2. Tit. 28. ob Injuriam verbalem hodie plerumque non agi ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris præstantiam per Palinodiam, seu ad Injuriam verbalis recantationem, seu revocationem infra n. 16. explicandam; cui concordare videntur Jura Bavarica Landrecht Tit. 46. art. 2.

Verum etsi juxta dicta liberum sit Injuriato civiliter, vel criminaliter agere contra Injuriantem, tamen si unam v. g. civilem actionem instituit, ad aliam criminalem nempe regredi non potest, & econtrâ, arg. l. Quod Senatusconsultum. 6. §. h. t.

Cæterum poena Criminalis Injuriarum ordinariè est arbitraria Judicis, cit. c. §. In Summam. Instit. h. t. exceptâ Injuriâ per Libellum famosum illata, utpote cujus poena est Capitalis, l. un. C. de famoso Libello, quam tamen poenam Capitale non de ultimo supplicio, sed de poena Exilii, vel deportationis explicat Harprecht, in §. 1. Instit. h. t. nisi crimen per Libellum famosum alicui imputatum esset Capitale; tunc enim poenam Talionis imponendam vult Constitutio criminalis Caroli V. ann. 110.

Resp. II. Præter actionem injuriarum datur etiam actio ad Palinodiam ob Injuriam verbalem, quæ ad hoc tendit, ut Injuriants verba injuriosa recantet, seu revocet, & fateatur, verba injuriosa se prolata, vera non esse &c. quæ actio ex Ordinatione Camerali Caroli V. p. 2. Tit. 28. introducta, & usu passim recepta est, ut etiam concordant Statuta Bavarica Landrecht Tit. 46. art. 2. Et hæc actio ad Palinodiam, etsi in casu Injurie verbalis loco actionis Injuriarum plerumque adhiberi sola valeat, & solet, juxta dicta supra n. 13. tamen etiam cum actione Injuriarum ad æstimationem cumulari potest, ut post Gailum lib. 1. Observat. 65. n. 5. & Mynsinger Centur. 2. Observat. 98. n. 10. bene docet Klingensperger Instit. lib. 4. Tit. 4. q. 13. eo quòd actio ad Palinodiam fit vel persequatoria, Actio autem Injuriarum ad æstimationem fit poenalis; actiones verò ad diversum finem cumulari posse, constat ex §. Cæterum instit. Si quadrupes perierit.

Resp. III. Datur actio Injuriarum etiam contra illum, qui alteri objicit occultum crimen, tale defectum verum, nisi Republicæ interfit, tale crimen manifestari. Clarus §. Injuria. n. 17. Covarruvias variat. Resolut. lib. 1. cap. 11. n. 6. Fachin. Controvers. lib. 9. c. 10. Ratio est, quia quando publica utilitas aliud non expostit, quisvis habet jus ad suam famam, ita ut ab alio per manifestationem delicti occulti violari absque injuria non possit; cum inhumanum ac injuriosum sit, absque justa causa alterius oculos defectus, vel delicta magno animo manifestare.

Nisi Republicæ interfit; enim verò ob utilitatem publicam, imò etiam ad averendum præjudicium tertii licitum est manifestare occulta alterius delicta & defectus, v. g. quòd quis sit fur, ne aliis noceat, quòd sit leprosus, vel quòd inhabilis sit ad Officium &c. arg. l. Eun qui, 18. ff. h. t. ubi habetur, æquum non esse, ut condemnentur, qui nocentem infamavit, cum delicta nocentium nota esse expediat.

Resp. IV. Qui ex actione Injuriarum sive Civilis, sive Criminalis condemnatur, ipso Jure est infamis, l. 1. & l. Athletas. 4. ff. De his, qui notantur infamia. l. Decurionis. 5. & l. Injuriarum 10. C. eod. ibi: Injuriarum ex persona quoque servi damnatus infamia notatur. Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Injuria omninò levis esset, ut cum aliis vult Harprecht §. In Summa. Instit. h. t. n. 96. quamvis Clarus contrarium doceat §. Injuria. n. 8.

Porrò declinat infamiam actione injuriarum Civiliter conventus, si auctoritate Judicis ante sententiam transigat cum Injuriato passio, l. Furti. 6. §. Pactusque. 3. in fin. ff. De his, qui notantur infamia; sicut etiam si Reus Civiliter conventus per Procuratorem fiat in Judicio, & in Procuratorem fertur sententia, cit. l. Furti. §. Si quis alieno. 2. ff. De his qui notantur infamia, & l. Locutus. 21. ff. eod. Secus foret, si Criminaliter conveniretur, quia Criminaliter convento non licet per procuratorem se defendere, l. fin. c. h. t.

Kursus ab Infamia immunis est actione injuriarum conventus, si Judex in sententia famam & honorem reservat, quod ex causa rationabili non tantum potest, arg. Quid ergo. 13. §. Pana gravior. 7. ff. De

De his, qui notantur infamia; sed etiam ex consuetudine & statuti particularibus multorum locorum debet, Harprecht §. in Summa. n. 118. Instit. h. t.

Queritur III. Quibus modis tollatur actio injuriarum? Resp. quinquè potissimum, I. Condonatione seu remissione per Injuriatum factâ, vel expressè, puta per verba expressa, per pactum, aut transactionem &c. vel etiam tacite, ut si Injuriam passus, illam integro anno in memoriam non revocat, cum possit, aut cum Injuriante antiquam familiaritatem restaurat, ad convivium invitatur &c. l. Non solum. 11. §. 1. l. Sed si. 17. §. 6. ff. de Injuriis & famosis libellis.

Notandum tamen circa remissionem Injurie, quòd ille, qui sub potestate alterius est, v. g. Filiofamilias respectu patris, Religiosus respectu superioris, Uxor respectu mariti, non possit injuriam remittere invito illo, sub cujus potestate est; econtrâ verò Pater, vel Prælatos possit remittere injuriam illatam filio vel subdito etiam his reclamantibus. Layman lib. 3. p. 2. cap. 6. nu. 7. Engel h. t. n. 13. Konig h. t. nu. 16. arg. l. Sed si unius. 17. §. 10. 12. & ff. ff. de Injuriis, ubi tamen §. 12. rectè fit limitatio illis verbis: Interdum tam-n putamus esse poter remitti, injuriarum actionem sibi dandam; ut putâ, si patris persona vitis abjecta que sit, filii honestâ; neque enim debet pater vitillium filii sui contumeliam ad suam utilitatem vitari.

II. Morie tam Injuriantis, quàm Injuriati ante litem contestatam contingente. Ratio est; quia Injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur, l. Injuriarum. 28. ff. eod. nisi fit conjuncta cum Damno dato, per dicenda infra.

III. Prescriptione unius anni, l. Si non convitit. 5. C. de injuriis, ibi: Cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit. Ratio est, quia Injuriarum actio prætorica est, quæ anno utili extinguitur, uti habet communis Doctorum pr. Instit. de perpet. & tempor. act.

Intellige tamen doctrinam præced. num. de Injuria verbalis; quia actio ob Injuriam realem, quâ quis verberatus, pulsatus, aut domo vi ejectus est, durat perpetuò, Mynsinger ibi: Observat. 7. nu. 7. sicut etiam actio Injurie scriptæ, Gailus lib. 2. Observat. 149. ubi testatur de praxi Cameræ Imperialis. Et quidem actionem Injuriarum Criminalem ob Libellum famosam perpetuam esse omnes fatentur. Pariter perpetua, utpote lege novâ, & per consuetudinem introducta censetur actio ad Palinodiam. Harprecht in §. fin. Instit. h. t. num. 17. Klingensperger lib. 4. Tit. 4. q. 42.

IV. Tollitur Actio Injuriarum per Retorsionem; si nempe Injuriarum verbalem passus, eam retorquet in Injuriantem, v. g. Si quis ab alio vocatus fur, adulter, spuris &c. dicit, Tu mentiris: aut tu ipse falsus es, donec talem me esse probes. Harprecht in §. Hec actio. 10. Instit. h. t. d. n. 9. Klingensperger ubi supra q. 15. arg. l. t. ff. Quod legat. Ratio est; quia per retorsionem censetur satisfactum Injuriato; satisfactio autem tollit actio Injuriarum, l. Sed si. 17. §. Si ante. 6. ff. h. t.

Queritur II. Num etiam, & quando in Foro conscientie quis possit aut teneatur instituire actionem injuriarum, vel ad Palinodiam? Resp. I. Quamvis injuriam passus teneatur Injurianti ignoscere in hoc sensu, quòd nullum odium, nullamque vindictæ cupiditatem adversus illum habere, velovere, minus re ipsâ vindicare se valeat, tamen non teneatur eidem remittere injuriam, vel ignoscere in tantum, ut omnem etiam actionem injuriarum, vel ad Palinodiam remittat, sed potest, imò subinde teneatur ad tuendam suam famam & honorem, harum actionem aliquam pro libitu assumere. Communis, & certa. Prior pars de vitando odio, &

vindictâ clarè patet, ex præcepto Christi Matth. 5. in fin. tuata.

Alterâ pars desumitur inprimis ex Verbo Divino, Eccles. 41. Curam habe de bono Nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. Dein ex can. Non sunt 65. caus. 11. q. 3. ibi: Non sunt audiendi, sive viri sancti, sive famine, quando reprehensa, in aliquo negligentia sua, per quam sit, ut in malam veniant suspitionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam existimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidat animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei (quibus secundum suam suspensionem, quasi turpis: que casta est, displicet vita Sanctorum) sive etiam cum exustatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem vitam suam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; abis fama nostra. & can. Nolo 10. cau. 12. q. 1. ibi: Dux res sunt conscientia & fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientie suæ negligit famam suam, crudelis est. Ratio jam est infinuata supra in textu can. Non sunt audiendi: cui accedit, quòd præter scandalum & præjudicium aliorum, ac nonnunquam etiam boni communis (ad quod promovendum malâ formâ notatus plerumque inhabilis est) ex læsione famæ & honoris per Injuriam causata plerumque sequatur etiam grave damnum proprium ipsius Injuriati, quod avertere per licita media atque poterit, & subinde tenebitur Injuriatus.

Dicitur notanter: imò subinde tenetur; quia non semper tenetur quis instituire Actionem Injuriarum, sed potest ex humilitate, vel aliâ virtute, aut justâ causâ Injuriam & omnem actionem Injuriarum ex toto remittere, imò se ipsum infamare confitendo, & propalando occulta sua delicta, vel defectus, prout fecisse constat S. Augustinum, & S. Franciscum. Ratio est; quia homo est dominus famæ suæ & honoris, ita ut ex justâ causâ possit illam neglegere; dammodo non vergat in præjudicium aliorum, prout jam diximus & probavimus in Theologia nostra Morali Tr. 7. Dist. 5. n. 7.

Imò si Injuria levis est, vel talis quòd ob notoriam Injuriati probitatem hominis verisimiliter non sint credituri, vel cujus suspicio per probitatem, vel aliam viam facillè vitari, aut aboleri potest, non tantum licet, sed etiam expedit, & laudabile, sanctum, & meritum est, ipsaque vita Christi, & Sanctorum suadet, injuriam potius patienter tollerare, ac dissimulare, quam actione institutâ eam avertere velle; præsertim cum in hujusmodi circumstantiis illâ viâ magis, quam istâ, fama bona acquiratur, & conservetur, ac radicatio potius, quam scandalum proximi sequatur. Hinc illud Taciti: Vita contempta exolefcunt, si irascaris, agnita videntur.

Cæterum ad quid in conscientia obligetur Injuriarum inferens, vide apud Theologos, & in Theologia nostra Morali Tract. 9. Dist. 6. q. 4.

Queritur III. An, & qualiter licitum sit Injuriam retorquere? Resp. Quamvis vindictæ causâ non sit licitum referre, seu retorquere Injuriam, tamen ad defendendum honorem & famam in utroque Foro licita est retorsio Injurie, si fiat in conscientia, & cum moderamine inculpate tutele: Ita Abbas c. Com te. n. 25. de Sentent. & re judicat. Layman lib. 3. Tract. 3. part. 2. cap. 6. nu. 2. & alii. Ratio primæ partis est; quia sicut non est licitum, percutere eum, qui te percussit, si non fiat ad justam defensionem, se ad vindictam, arg. l. Si ex plagis. §. 2. ff. ad Legem Aquiliam. ita non licet inferre Injuriam inferenti;

renti; quia nemini licet propria autoritate se ulcisci. *Nullus. c. de Judicis. ibi: Ne quisquam sibi ipsi promittere valeat ultionem.*

34 *Altera pars ex eo probatur.* Quia omni Jure licitum est, vim vi repellere, *l. vi. ff. de Juslit. & jur. & l. Scientiam ff. ad Legem Aquiliam, ibi: Vi vim defendere omnes Leges omniaque Jura permittunt, & c. Olim. de Restitut. spoliar. ergo pariter licet, retorquere Injuriam in inferentem; dammodo id fiat servato moderamine, quantum necesse est ad necessariam defensionem honoris sui. Neque in tali casu tenebitur quis actione injuriarum, quia non animo injuriandi, sed sui honoris defendendi gratia retorquere fecisse presumitur.*

35 Quod si vero Provocatus novam Injuriam inferat Provocanti, efficiendo convitium, quod non spectat ad ejus innocentiam defendendam, sed concernit aliud factum, ut si per injuriam appellatus fur, Injuriantem vocaret adulterum, consequenter moderamen inculpate tutelae excederet, utique illicitè ageret, *Injuria reus esset, aded, ut utique competat actio injuriarum adversus alterum, uti notat Abbas loc. cit. & Pirhing h. r. n. 6. & habetur etiam in Jure Bavarico Landrecht Tit. 4. art. 6. idque defumitur ex c. Veniens de iurejurand. ibi: Alternatim vitia inferendo certantur.*

36 Dicitur autem notanter, si fiat in continenti, quia si post notabile intervallum fiat, videtur sapere vindictam, consequenter esse illicitam, casu quo praesentis irrogatur injuria. Quod si verò absenti, vel in scriptis, vel per Notarium, vel Testes irrogatur, non est necesse, ut in continenti retorquatur; cum aliquod intervallum sit necessarium ad hoc, ut retorsio commodè expediri valeat, *arg. l. Sive ingens. 2. §. 43. ff. ad S. C. Terryll.*

§. II.

De Damno dato, & Repressaliis.

S U M M A R I U M.

- 37 Damnum datum quid?
- 38 Dari, vel inferri potest non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa Juridica, lata, levi, & levissima.
- 39 In Foro externo ex quavis etiam levissima culpa Juridica oritur obligatio resarciendi Damnum.
- 40 Exemplificatur.
- 41 In Foro interno ad resarciendum Damnum tenetur, non tantum qui ex dolo.
- 42 Sed etiam qui ex culpa illud intulit.
- 43 Non tamen ante sententiam Judicis, si ex culpa levi, vel levissima, vel aliis absque peccato, seu culpa Theologica illud dedit;
- 44 Post sententiam verò etiam in Foro interno tenetur.
- 45 Doli, seu culpa Theologica incapax, & adhibens diligentiam debitam in nullo Foro tenetur ad resarciendum aliquod Damnum.
- 46 Sicut nec, qui illud jure intulit.
- 47 Ratione Damni litigans Damnicifactor tenetur etiam ad expensas litis.
- 48 Si tamen litigavit.
- 49 Ob Damnum casu contingens, nullus tenetur.
- 50 Ob Damnum datum competi Actio ex Lege Aquilia ad illius resarcitionem, & insuper quantum interest, Damnum datum non fuisse.
- 51 Subinde competis haec actio etiam ad duplum, & quadruplum.
- 52 Actio ex effuso, vel dejecto quid importet, & contra quem competat?

Quaeritur I. Quid ad propositum sit, & quot modis contingere Damnum datum? Resp. I. Nominè Damni dati hic non intelligitur illud, quod inferitur amotione rei alienae, & lucri causa, uti contingit in furto, rapina, uluris &c. de quo agitur Tit. de Furtis, de Raptibus, & usuris &c. sed nomine Damni dati intelligitur, id quod inferitur corruptione, vel deterioratione rei alienae, sive animatae, sive inanimatae absque lucro vel incommodo Damnicifantis; ut si quis alterius animalia occidat, domum, vel segetes incendat, ac hujusmodi, ob quale damnum de Jure datur Actio Aquilia, vi cuius damnum debet resarciri, & aestimatio rei destructae restitui, *l. 1. & seq. ff. ad Legem Aquil.*

Resp. II. Damnum variè dari, seu inferri alteri potest, videlicet, non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa Juridica lata, levi, ac etiam levissima, *l. in Lege Aquilia. 44. ff. Ad Leg. Aquil.*

Quaeritur II. Qualis tam pro Foro externo, quam interno oriatur obligatio resarciendi Damnum datum? Resp. I. Non tantum ille, qui cum injuria, & dolo, seu nocendi animo, sed insuper, qui ex culpa sua, etiam levissimam Damnum proximo intulit, tenetur ad satisfactionem Damni illati. Ita habetur c. ul. h. t. ibi: Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu alius irrogantibus opem forte tulisti, aut hac imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere oportet: nec ignorantia te excusat; si scire debuisti ex factis injuriam verisimiliter posse contingere. Haec ibi. Concordat textus I. In Lege. ff. ad Legem Aquil. ibi: In L. Aquilia etiam levissima culpa venit. Ratio est; tum quia factum cuique suum, non alteri nocere debet. *l. Fulvium. ff. de Reg. Jur.* Tum quia potior debet esse causa, ejus, qui damnum absque omni sua culpa patitur, quam alterius, qui sua culpa damnum intulit, etsi forsitan levissimam.

Hinc qui per incuriam non extinxit ignem, sicque incendit domum, tenetur, *arg. l. Si servus. §. Si Fornicarius. ff. ad Leg. Aquil.* Idem dic, si quis inconsideratè quidpiam deiecit ex alto, unde alicui transiit damnum illatum est, ubi tenetur etiam ad resarciendum, *arg. l. Si putator ff. ad Legem Aquil.* in qua generaliter dicitur: culpam esse, cum quod diligenter praevideri poterit, non esset praevissum. Similiter si Medicus servi curacionem reliquerit, aut imperitè curaverit, Lege Aquilia tenetur, §. Praeterea Instit. de Lege Aquil. quia imperitia culpae adnumeratur. *l. Imperitia. ff. de Reg. Jur. Caupo, vel Reclor navis in cuius domo, vel navi furtum est factum, l. Item exterior. 3. Instit. de Obligat. ex quasi delicto &c.*

Resp. II. Loquendo de Foro interno, certum est, non tantum eum, qui dolo malo, seu nocendi animo, sed etiam illum, qui ex culpa juridica lata alteri Damnum inferit, ad resarciendum illud teneri. De dolo inferente damnum, nemo dubitat ob clara Jura c. Si quis. 6. c. Olim. 7. h. t. cum Concordantiis.

Alteram partem de Damnicifante ex culpa lata tenent Innocentius, & interpretes in c. Sicu. 6. de Homicid. Sylvester r. Culpa. n. 5. & 6. Palao r. 23. disp. 3. p. 1. n. 7. Molina disp. 293. n. 7. & communissima aliorum. Ratio est, quia culpa lata supponit gravem culpam Theologicam, dum nempe omittitur illa diligentia, & cautela, quam adhibere solet, & ad grave damnum proximi avertendum, quilibet jure naturae tenetur, indeque si illam omittat, causa moralis censetur fuisse damni.

Resp. III. Quamvis non desint Doctores, veluti Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. Zoellius in ff. ad Leg. Aquil. n. 6. & alii volentes ex quavis etiam levissima culpa Juridica, in conscientia quoque

quoque oriri obligationem resarciendi Damnum datum, tamen Lugo Disp. 7. de Jur. & Justit. sect. 3. & 4. Lessius lib. 2. cap. 7. num. 24. Chlenger perger lib. 4. Instit. Tit. 3. q. 9. & alii communius, & probabilius docent, quod si quis absque peccato mortali, vel veniali, adeoque sine culpa Theologica damnum inferit, ante sententiam Judicis in Foro interno sive conscientiae non teneatur ad damnum resarciendum. Ratio est; quia alioquin ejusmodi Leges essent nimis rigidae, & in Foro animae vix practicae, neque naturae seu conditioni humanae accommodatae, adeoque injustae, *arg. c. Erit autem. Dist. 4. ubi ad justitiam legis inter alia requiritur, quod sit possibilis secundum naturam &c.* id est, non contineat onus grave, & attentà fragilitate humana importabile, praesertim si id non exigit boni publici emolumentum, cui quantum ad propositum sufficienter providetur, eo quod praedictae personae in Foro externo, & in conscientia saltem post sententiam Judicis obligentur.

Nec dicas. Si talis non tenetur in conscientia ante sententiam Judicis, ergo neque post ipsam, quia poenitens ejusmodi tententia erit injusta. Respondetur enim negando consequentiam; nam cum ejusmodi leges, volentes resarciri Damnum etiam ex culpa levi, vel levissima illatum, justissimas de causis sint positae, partim ut quilibet invigilet amplius, ne sua vel suorum culpa Damnum aliquod proximo inferatur, sicutque pax communis, & publica tranquillitas conservetur; partim ut praevaleant innumeris fraudibus & malis hominum, quae in Foro externo sunt difficilioris probationis; sententia Judicis conformiter dictis legibus lata merito etiam in Foro conscientiae obligat, non obstantè, quod antea necdum adhaerent talis obligatio resarciendi damnum sine omni culpa Theologica illatum.

Resp. IV. Quando Damnum inferens, vel incapax culpa fuit, ut furiosus, vel infans; vel saltem in praevendo damno prius omnem diligentiam adhibuit; aut damnum non cum in curia intulit, is non tenetur ad recompensationem. Prima pars habetur c. Illud. 15. q. 1. & l. Sed est. ff. ad Legem Aquil. unde damnum a furioso vel infante illatum reputatur inter casus fortuitos, nisi culpa aliquis alterius praecesserit. Impubes autem si est doli capax tenetur, ut *l. c. notatur.*

Secunda pars patet ex cop. ult. §. fin. h. t. juncto §. 4. & 5. Instit. de Leg. Aquil. cum Concordantiis. Tertia verò ex eo liquet; quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, *l. Nullus. de Reg. Jur. & nemo damnum facit, nisi id qui facit, quod suere jus non habet.* Hinc damnum in bello iusto hostibus illata resarcienda non sunt; quia non in Jure vim vi repellere licet, *l. Scientiam. ff. ad Legem Aquil.* Similiter non tenetur, qui in suo fundo fodien vicini fontem avertit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit, textu claro *l. 1. §. Denique Marcello ff. de aqua pluvia arcend.*

Resp. V. Non solum Damnum illatum tenetur Reus resarcire, sed etiam tenerè litigans condemnandus est victori in expensis litis, quando sententia fertur pro parte praesente, & quidem in causis pecuniariis. Ita tenet Pirhing Tit. de panis nu. 8. & seq. atque defumitur ex c. Columnia de Paris. De cetero in causis pecuniariis victori in expensis condemnatur.

Et hoc intelligi non solum, quando alter per callumitiam vel dolum litigat, sed etiam si absque dolo tamen in dubio temper presumitur contra victum. Si verò talis justam causam litigandi habuit, non debet condemnari, *arg. c. Sacro. 48. §. Verum. de*

Sentent. excommunic. & l. Qui solidum. §. Etiam. ff. de Legatis II. ac tenet glossa magna, *Frem lib. 1. de Dolo & contumac.* Alioquin autem ex esse, in quas videtur condemnari debet victori, sunt taxandae à Judice secundum qualitatem litigantium, praenotato tamen per victorem juramento, quod revera tantum expenderit, *arg. c. Olim. de Injuriis.*

Resp. VI. In nullo Foro tenetur aliquis resarcire Damnum, quod casu omnino fortuito, qui praevideri, & evitari non potuit, contingit. Unanimis, & certa, c. Unici. de Commodato, & l. 1. §. 4. ff. de Obligat. & Ad.

Quaeritur III. qualis detur Actio ob Damnum datum? Resp. juxta jam dicta, dari Actionem ex Lege Aquilia, quae licet tria Capita continent, tamen primum, & tertium de facto sunt in usu, ita ut vi primi Capitis, si Damnum datum in Foro externo, & in conscientia saltem post sententiam Judicis obligentur, vel pecudis. id est animalium, quae gregatim pascontur, uti boves, oves, sues &c. detur aestimatio occisi animalis non tantum, quanti fuit tempore interitus, sed etiam quantum retro fuit per totum annum; ac insuper aestimatio omnis damni, quod occasione occisionis hominis, vel animalis, vel rei alterius deterioratae, destructae &c. contingit, §. 10. & subsequentiis Instit. Ad Legem Aquil. Ratione tertii Capitis tenetur ad resarciendum dan num, sive vulnerando hominem, aut pecus. sive deteriorando vel destruendo rem &c. illatum, ac insuper in specie, si animal, quod gregatim non pascitur, veluti canes, aves, ferae &c. occidat, petitur aestimatio rei deterioratae aut peremptae, quanto retro in proximis triginta diebus fuerat, §. Illud autem 14. Instit. eod.

Potest etiam in Actione ex Lege Aquilia regulariter loquendo solum petatur aestimatio Damni, & quantum interest Damnicifantis, damnum datum non esse, *Prin. & §. 10. Instit. h. t. Ad Legem Aquil.* tamen dantur casus, in quibus ad plus convenitur Damnicifantis, uti ad duplum, qui clam alterius arbores succidit, *l. Fortium 7. §. fin. & l. 8. ff. Arborum sum in casarum.* Et in quadruplum, qui per vim inferit damnum, *l. 2. ff. De vi bonorum raptorum.* Item ad quadruplum ille, qui tempore calamitatis, puta incendii, tumultus, ruinae, naufragii &c. damnicifacit, *l. 1. prin. & l. 3. §. Non solum ff. de incendio, ruina &c.* De quibus amplius Civilitas, vide etiam Engel h. t. n. 36.

Actioni ex Lege Aquilia affinis est actio ratione ejectionis, vel effusionis, vi cuius ille, qui inhabitat domum, vel cubiculum, ex quo aliquid in publicam plateam, vel per quam vulgò transitur, effusum & ejectum, indeque alteri damnum illatum est, convenitur in duplum, licet inhabitator non est egerit, vel ejecerit; idque ideò, ut Damnicifacis sui damni damnicifacionem facilius consequatur; cum aliàs saepe impossibile foret, probationem contra illum facere, qui effudit, vel ejecit; contra quem tamen ipse habitator, qui damnum resarcivit, habet Actionem pro suo interesse, *l. 1. & seq. ff. De his, qui deiecerunt, & ibi Doctores, Engel h. t. num. 36.*

TITULUS XXXVII.

De Poenis.

S U M M A R I U M.

1. Ratio continuationis.

Quia